

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Disputatio Controversistica qua Realis Ac Substantialis  
praesentia corporis & sanguinis Domini in Evcharistia**

**Baldinger, Bernhart  
Stucki, Johann Rudolf  
Heidegger, Johann Heinrich**

**1669**

Caput XII.

[urn:nbn:de:bsz:31-162645](#)

D. Heid. ex operibus illis eruditissimis prædicta Patrum loca præ alijs se-legerit, manifestum est, quod nulla ad suum propositum aptiora invenerit. Quare, cum hæc ipsa, quæ ipse sibi aptiora judicavit, ad propositum ipsius inepta sint, facile, mi prudens lector, ex hoc colliges, reliqua ab adversarijs contra nos produci solita adhuc multò ineptiora esse. Cæterum relege illa Patrum loca, quæ parte 1. cap. 8. 9. 10. & 11. ex pluribus produximus, & im-passionato animo fer sententiam, an absque temeritate dici possit, quod corporalis & substancialis ejusmodi pra-senlia pia antiquitati ante scholastico-rum evum plane fuerit incognita.

## C A P U T XII.

### REFELLITUR ULTIMUM Argumentum.

D. Heideg. obiecit 10. & ait: De-nique Adversarijs de modo hujus praesentiæ minimè convenit, dum aliij, no-minatim Richardus de media Villa in 4. sent. dist. 10. art. 2. q. 2. Scotus ibid. q. 2. 3. Gabriel Biel ibid. art. 2. concl. 3.

X S      præ-

præsens esse corpus Christi in eucharistia circumscriptivè pertendunt: alij vero, veluti Bonaventura in 4. sent. dist. 44. 10. q. 4. Thomas quodl. 9. q. 32. Durandus in 4. sent. dist. 44. q. 6. Capreolus ibid. q. 1. art. 3. docent, corpus Christi præsens esse non circumscriptivè, sed penetrativè & indivisibiliter, non per modum quantitatis dimensivæ, sed substantiæ. Qui quidem partium illarum dissensus præbet nobis Syllogismum contra presentiam corporalem Christi evidentissimum, cuius utraque premissa nütztur argumentis ab ipsis partibus litigantibus suppeditatis. Talis autem est:

In quibuscunque locis simul potest corpus Christi per miraculum esse corporaliter seu substantialiter, in ipsis locis simul potest esse per miraculum circumscriptivè.

At corpus Christi non potest per miraculum simul esse in pluribus locis circumscriptivè.

Ergo corpus Christi non potest per miraculum simul esse in pluribus locis corporaliter seu substantialiter.

*Propositionem majorem clarissime  
pro-*

probant Scotus, Gabriel Biel, & eorum  
assecla, quia ubi Deus facere potest sub-  
stantiam naturalem sub modo suo non na-  
turali, sed opposito, ibi eam facere etiam  
potest sub modo naturali, seu naturae sue  
convenienti, cum hoc agere facile, imo fa-  
cilius sit, quam illud, & ad illud concur-  
rere debeant duo miracula, unum in  
causando presentiam unius corporis si-  
mul in pluribus locis, alterum in sep-  
rando ipsum a modo suo naturali; ad  
hoc vero unum miraculum, videlicet in  
causando unius corporis presentiam si-  
mul in pluribus locis. Minorem vero  
propositionem non minus invictis rationi-  
bus confirmant Bonaventura, Thomas,  
Durandus, Capreolus, qualia sunt, quod  
quantitas, cum de ratione sua intrinsecâ  
habeat partes positione distinctas, adeo  
que sit divisibilis, non possit ulla modo se  
habere indivisibiliter: quod ubiunque  
quantitas est in se realiter, ibi etiam sic  
quantitative, cum modus ille ei sit essen-  
tialis; id porro, quod quantitative est  
alicubi, non possit comparari ad totum  
vel ejus partem: quod indivisibilitas sit  
modus incompossibilis naturae quantitatis.

ac proinde quantitas non possit se habere  
consimiliter ad totum & ad partem:  
quod per quantitatem continuam res ali-  
qua fiat extensa, habens partem extra  
partem, localiter & circumscriptivè:  
quod denique miraculum hic nihil im-  
mutare possit, cum per illud nunquam se-  
paretur definitio à definito, neque id des-  
gnetur, quod contradictionem implicat.  
Hucusque D. Heideggerus.

Finis coronat opus. Quare Quin-  
tilianus lib. 7. cap. 2. ait: *Vis quasio-  
num semper crescere debet, & ad poten-  
tissima ab infirmissimis pervenire. Si Se-  
cus agitur, languescit pugna.* Hoc idem  
observare studuit D. Heideg. ideoque  
ultimo loco argumentum opponit, suo  
judicio, evidentissimum. Et quidem, ut  
verius evidentissimum dici possit, illud  
ipsem in formâ syllogistica, utpote  
ad docendum & convincendum (uti  
dixi supra fol. 245.) aptissimâ, propo-  
nit. Forsan hic syllogismus tam ner-  
vosus ac convincens est, ut non im-  
merito vel ob hunc unicum D. Heid.  
dicere possit, *Papatûs Tridentini ner-  
vose refutari & convicti compendium*  
in

in suā Anatome exhiberi ? Quare operæ pretium erit, nervos hujus argumenti per aliam Anatomen inquire, & videre, an priora argu- menta satis infirma hoc syllogismo fir- mentur ; vel potius an eo infirmiore, omnibūsque nervis destituto ita con- cludantur, ut meritò dici possit, quod D. Heideg. ( contra Quintiliani regu- lam ) ab infirmis ad infirmissima, & fal- sisimo fundamento nitentia tandem perveniat. Quare

Resp. I. ad Syllogismi fundamen- tum, nempe ad dissidium Doctorum, & dico, falsum esse, quod Richardus, Scotus, & Gabriel Biel præsens esse cor- pus Christi in Evchar. circumscriptivè pertendant. Nam præsentia circumscri- ptiva est illa, quā corpus & sanguis Chri- sti in hoc Sacramento esset cum totā suā propriā quantitate dimensivā, sive se- cundūm propriū modūm quantitatis dimensivē, ut ipse D. Heid. fatetur. At hac præsentia circumscriptivā corpus Christi in Eucharistia e. g. sub parvā hostiā non præsens esse, manifestum est, quemadmodum manifestum est, id

non esse ibi visibiliter. Nec dicti Doctores hoc ullo modo affirmant; sed manifeste negant, ita ut nesciam, ignorantiane, an verò malitiā D. Heidegg. tam falsam doctrinam ipsis adeo audacter adscribat. Certè & hi & omnes alij Catholici Doctores, communī consensu, cum Synodo docent, corpus Christi in Eucharistiā realiter præsens esse; at non circumscriptivè, sed penetrativè, & indivisibiliter, seu definitivè secundum modum substantiæ, ita ut tota substantia corporis indivisibiliter sit sub totâ specie panis, & quâlibet ejus parte.

Et quidem ut manifestum fiat, quâm falsum sit id, quod D. Heidegg. Scoto alijsque affingit, audiatur ipse met Scotus, cuius doctrinam alij sequuntur. Hic cir. dist. 10. quæst. 1. statuit, possibile esse, ut corpus Christi sub speciebus panis realiter, etiam in pluribus locis, indivisibiliter saltem per modum substantiæ, continetur, cùm hoc non impliueret. Tum quæst. 2. agitat questionem philosophicam, utrum idem corpus etiam localiter, seu circumscriptivè simul

in diversis locis esse possit. Et quidem ibi affirmat, hoc per divinam omnipotentiam fieri posse, cum ex hoc nulla necessariò sequatur contradictione. Tandem quæst. 3. ab hac philosophicâ quæstione præscindit, & quærerit, an & quæ præsentiâ corpus Christi de facto præfens sit in Eucharistiâ & ait : *Conclusio (nempe corpus Christi posse simul esse in cælo & in Eucharistiâ, ut patet ex titulo quæst.) est certa, cuilibet fideli, ut ostensum est. r. quæst. hujus dist.* sed unus modus ponendi est talis, secundum quem per conversionem alterius in ipsum potest illud corpus esse alibi, quam in loco suo naturali : quare ubi præfuit conversum, ibi est illud, in quod conversum est, non localiter, (NB.) sed sacramentaliter : & hoc modo, scil. sacramentaliter, corpus Christi potest esse alibi & in pluribus locis : non autem localiter, nec dimensivè : quia localiter esse includeret contradictionem, si-  
cūt posita sunt rationes eorum in praece-  
denti quæstione : sacramentaliter autem non includi contradictionem : quare ip-  
sum non est ibi secundum leges loci : sed tan-

*taniū illud, (puta Symbolum seu spe-  
cies panis & vini) sub quo est sacramen-  
taliter. Hæc Scotus.*

En, hanc conclusionem dicit Scotus  
*certam cuilibet fidelis: & quia per præ-  
sentiam localem intelligit circumscri-  
piam, quā corpus secundūm leges lo-  
ci & quantitatis dimensivē præsens est,  
ideo hoc ipso manifeste negat, corpus  
Christi esse in Evchar. circumscriptivē,  
dum ait: non localiter, nec dimensivē  
secundūm leges loci, sed sacramentali-  
ter seu invisibiliter & penetrativē ibi  
præsens esse.*

Dissidium S. Thomæ & Scoti so-  
lūm est Philosophicum citat, quæst. 2.  
agitatum, nempe, an aliquod corpus  
( & consequenter etiam corpus Chri-  
sti) per divinam omnipotentiam esse  
posset simul in pluribus locis etiam  
circumscriptivē. Hoc Scotus affir-  
mat, at S. Thomas negat. Quod ve-  
rō corpus Christi defacto sit circum-  
scriptivē, seu localiter ac dimensivē se-  
cundūm leges loci in Evchar. hoc & Sco-  
tus & S. Thomas negant; & ideo so-  
lūm præsentiam definitivam, seu se-  
cun-

cundūm modum substantiæ, tanquam  
cuique fideli certam, utrinque affirmant.

Resp. II. Fundamentum hujus argumenti, quod D. Heidegg. ex dissensu Doctorum dedit, non solum falsum, sed etiam, etsi verum esse concederem, vanum & sine nervo est. Nam non sequitur, rem aliquam verè ac re-aliter non esse, ex eo, quod Doctores de quodam ejusdem rei modo dissentiant: alias corrueret fides Christiana quod ad præcipua mysteria. An non enim Doctores Græci & Latini dissentient de modo, quo Spiritus S. procedit? An forsan hinc à Gentilibus benè deducitur Spiritum S. non esse? An non Doctores dissentient quod ad alios modos, ac relationes in mysterio Trinitatis? An ideo hoc mysterium, quod ad rem ipsam, benè negari potest? Idein dic de mysterio Incarnationis, alijsque, in quibus etiam ipsi Protestantes, quod ad modos varios, dissentunt, nihilominus tamen rem ipsam credunt. SS. Patres crediderunt futurum esse Messiam, etsi non scirent, quod supernaturali modo ex virgine na-

nasciturus esset. Credimus ipsum venturum ad iudicium, & tamen nescimus neque diem, neque horam. Rem revelatam credere debemus, et si modum existentiae, aliosque modos, aut circumstantias ignoremus

Resp. III. ad syllogismum, quem D. Heidegg. tanto applausu velut evidensissimum opponit, & dico, eum satis Sophisticum esse. Adverto enim, quod D. Heid. ante syllogismum dicat, dissidium Doctorum nostrorum esse in eo, quod Scotus ipsiusque asseclæ præsens esse corpus Christi in Evth. circumscriptive pertendant: alij verò, veluti Bonav. Thomas &c. doceant corpus Christi præsens esse non circumscriptive, sed penetrative & indivisibiliter, non per modum quantitatis dimensivæ, sed substantia. Jam quæro: si syllogismi D. Heideggeri utraque præmissa nititur argumentis (ut ipse ait) ab ipsis partibus litigantibus suppeditatis, cur non etiam ut syllogismus clarior sit, & sincerior, nititur partium litigantium terminis? Cur, omissis terminis penetrative & indivisibiliter, utitur terminis corporaliter

&amp;

& substantialiter, eosque termino circumscriptivè opponit? Cur si ingenuè procedere, & partium litigantium argumentis & terminis insistere voluit, cur, inquam, loco terminorum corporaliter seu substantialiter non potuit terminos penetrativè & indivisibiliter, quos paulò ante opposuerat termino circumscriptivè dicens, quod Thomas doceat: *Corpus Christi in Euch. præsens esse, non circumscriptivè, sed penetrativè & indivisibiliter, non per modum quantitatis dimensione, sed substantia?* An non syllogismus hoc modo terminis litigantium conformior, & ideo etiam clarior fuisset e. g. si in eadem formâ sic fuisset propositus?

*In quibusunque locis corpus Christi simul potest esse per miraculum penetrativè & indivisibiliter in iisdem locis potest simul esse circumscriptivè.*

*At corpus Christi non potest per miraculum simul esse in pluribus locis circumscriptivè.*

*Ergo corpus Christi non potest per miraculum simul esse in pluribus locis penetrative & indivisibiliter.*

Non

Non invenio caulam, cur D. Heid. terminos corporaliter & substantialiter toties i[n]miscat, nisi forsan ut doctrinā, quam Scoto, ejusque alleclis falso affingit, minus attento lectori magis inculceret, eam supponendo verissimam: nempe, quasi Scotus, aliquae crudiores (ut dixit & hic & supra fol 240.) docent, corpus Christi esse in Euch, circumscriptivè, id est, secundum proprium modum quantitatis, dimensive & quantitativè secundum modum corporibus naturalem, adeoque corporaliter. Addit, seu substantialiter, ut indigit ipsemet eos, quos vocat, l.c. Sophistas, qui docent, corpus Christi esse in Euch, indivisibiliter secundum modum substantiae, seu substantialiter. Quām sophisticè autem D. Heideg. hoc modo nobiscum agat, monui loc. cit. & fol. 48.

Resp. I V, directe & dico: Hic Syllogismus, qui proclamat contra nos evidentissimus, planè nullius prorsus evidentiæ, vel roboris est. Nam vel Majorem cum Thomistis negabo; vel Minorem cum Scotistis, & ita cum

com-

communi tum horum doctorum, tum  
aliorum omnium Catholicorum con-  
sensu negabo consequentiam,

Ad argumenta, quibus utpote cla-  
rissimis, & invictis rationibus D.  
Heidegg. ait, Majorem & Minorem  
objecti syllogismi probari & confir-  
mari, dico, ea sanè nec clarissima,  
nec invicta, sed ea, quæ ipse invicta vo-  
cat, ab ipso D. Heidegg. conficta, &  
nostris Doctoribus falsissime afficta es-  
se, ita ut summopere mirer, cur D. Hei-  
degg. hæc argumenta adeo approbet;  
alia autem vera & verè invicta vocare  
soleat sophismata, contortulas captio-  
nes &c. Et quidem ut hoc, quod dico,  
clarissimè demonstrèm;

Ad Majorem, ejusque probationem  
d' eo cum Thomistis, verum quidem  
esse, quòd ob adductas rationes duo  
miracula concurrere debeant, ut  
unum corpus simul sit in pluribus lo-  
cis penetrativè & indivisibiliter; at ne-  
go, hinc clarissimè evinci, quòd in  
quibusunque locis corpus simul potest  
esse per miraculum indivisibiliter, in  
ijsdem

ījsdem locis possit esse per miraculum cir-  
cumscriptivē. Nam ipse S. Thomas sup-  
ponit, involuere contradictionem, ut  
unum corpus simul sit in pluribus lo-  
cis circumscriptivē , & ideo hoc nec  
per mille miracula fieri posse. Ut au-  
tem idem corpus in uno tantūm loco  
sit circumscriptivē ; in alijs verò simul  
sit indivisibiliter & penetrativē, hoc non  
involuit, etiam juxta opinionem S.  
Thomæ, contradictionem. Quare et-  
si ad hoc duo, vel plura miracula re-  
quirantur, id tamen facile à Deo con-  
tra naturalem corporis, ejusque quan-  
titatis exigentiam fieri potest, imo de  
facto in Evchar. hoc fieri, etiam ipse  
S. Thomas docet : & ideo facile con-  
sequentiā negamus. Quod siverò  
D. Heid. ratio hæc D. Thomæ non  
videtur sufficiens, dabo Majorem, at  
Minorem negabo, & consequenter  
ipsam consequentiā.

Ad Minoris probationem, quam  
invictis rationibus à D. Bonaventurā,  
D. Thomā &c. confirmari, D. Heideg.  
dicit, qualia sunt, uti ipse ait, quod qua-  
ntitas, cùm de ratione suâ intrinsecâ ha-  
beat

beat partes positione distinctas, adeoque  
sit divisibilis, non possit ullo modo se habe-  
re indivisibiliter &c.

Dico 1. quod supra dixi, nempe  
has rationes tantis Doctoribus falso  
affictas esse. Nam 1. SS. Thomas,  
Bonaventura &c. (uti D. Heid. in  
hac ipsâ objectione ante syllogismum  
verè ait) docent, *corpus Christi præsens*  
*esse* (in Eucharistia) *non circumscripti-*  
*vè, sed penetrativè & indivisibiliter, non*  
*per modum quantitatis dimensivæ, sed*  
*substancialiæ*. Tum jam initio quæstionis  
hujus (ut supra fol. 240.) hanc ipsam  
doctrinam D. Heidegg. his ipsis DD.  
adscripsérat dicens: *Negamus præsen-*  
*tiam corporis & sanguinis Christi sub-*  
*stantialem & corporalem, qua videli-*  
*cet corpus & sanguis Christi in hoc Sacra-*  
*mento sit cum totâ suâ propriâ quantita-*  
*te dimensivâ &c. sive indivisibiliter se-*  
*cundum modum substancialiæ, ita ut tota*  
*substancialia corporis sit in totâ specie panis,*  
*& qualibet eius parte, uii quidem Sophi-*  
*sta (NB.) Thomas, Bonaventura, alij-*  
*que plures restringunt. Sanè hoc ipsum*  
hi DD. docent: Audiatur ex ijs S.  
Tho-

Thomas. Hic S. Doctor in Summā p.  
 3. q. 76. agit de modo, quo Christus est  
 in hoc Sacramento. Et art. 1. ait, totum  
 Christum in Euchar. realiter esse, fide  
 Catholica credendum est. Tum art. 3.  
 hanc concl. ponit. Cum corpus Christi  
 sit in hoc Sacramento, eo modo, quo sub-  
 stantia est sub dimensionibus, manifestum  
 est, totum Christum sub qualibet parte  
 specierum panis & vini contineri, sive  
 frangatur hostia, sive integra remaneat.  
 Rursus art. 4. in concl. & resp. ad 1.  
 ait : *Quantitas dimensiva corporis  
 Christi est in hoc Sacramento non secun-  
 dum proprium modum (ut scil. sit tota  
 in toto, & singulæ partes in singulis par-  
 tibus) sed per modum substantiæ, cuius  
 natura est tota in toto, & tota in quali-  
 bet parte.* Hæc S. Thomas.

Nunc, his positis sic subsumo : S.  
 Thomas, & (utiiple D. Heideg. fatetur  
 Bonavent. Durand. Capr.) docet, cor-  
 pus Christi cum suâ quantitate di-  
 mensivâ esse de facto in Euchar. indi-  
 visibiliter per modum substantiæ, ergo  
 fallum est 1. eum docere, quod quanti-  
 tas de ratione suâ in râneçâ habeat par-  
 tes

respositione distinctas, adeoque sit divisibilis, nec possit ullo modo se habere indivisibiliter, & ideo D. Heideg. hanc Doctrinam false ipsis affingit. 2. Fallè ipsis affingit, quod ubicunque quantitas est in se realiter, ibi etiam sit quantitativer, cum modus ille ei sit essentialis. An non enim expressè S. Thomas dicit. loc. c.

Quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc Sacram. non secundum proprium modum &c. sed per modum substantia tota in qualibet parte, & consequenter non quantitativer, sed indivisibiliter 3. Ostendat D. Heidegg ubi S. Thomas (vel alius horum DD.) asserat, quod indivisibilitas sit modus incompossibilis naturæ quantitatis &c. Si quantitas dimensiva corporis Christi de facto in Evchar. est (juxta claram doctrinam S. Thomæ) non secundum modum proprium, sed secundum modum substantiae, adeoque indivisibiliter, sine extensione partium &c. quâ veritate dicit D. Heid. quod Thomas ad confirmandam Minorem doceat, quod miraculum hic nihil immutare possit &c. Nescio, an D. Heid. (forsan præ nimio

Z

gau-

gaudio ob inventum syllogismum  
hunc, utiait, evidenter) propriam  
mente in dum haec scriberet amiserit.

Dico II. Etiam si S. Thomas haec do-  
ceret, haec non sunt rationes invictae ad  
probandum suprapositam Minorem  
nempe: *Corpus Christi non posse per mi-  
raculum simul esse in pluribus locis cir-  
cumscriptive?* Quae enim ex allatis ra-  
tionibus hoc probat? Haec, si quid pro-  
probant, directere probant, *Corpus quan-  
tum, ex sua in intrinsicâ naturâ, necessariò  
habere partes extensas, adeoque non posse  
per miraculum in loco esse indivisibili-  
ter, sed necessariò esse in loco quantitati-  
vè, seu circumscriptivè cum extensione  
actuali quantitatis.*

Quare non probant Minorem, quae  
asserit: *Corpus Christi non posse esse per  
miraculum in pluribus locis circumscri-  
ptrivè;* sed potius probant contrarium,  
nempe, quod debeat semper circumscri-  
ptrivè esse, in quibusunque locis sit. At  
hoc falsum est, hasque falsas rationes,  
quas D. Heid. falsissimè ipsis affingit, nō  
tantum ipse S. Thomas, Bonaven. &c.,  
sed etiam Scotus cum suis, imò com-  
mu-

munis Catholicorum consensus negat.  
 Cæterum etsi quantitas ex suâ natura exigat extendi, hinc non sequitur,  
 quod nec per miraculum à Deo contra hanc exigentiam agi possit &c. uti  
 fusiūs docuimus p. 2. c. 7. & p. 3. c. 9.  
 & 10.

Ex his collige, quantum D. Heideg.  
 hoc suo *evidētissimo* syllogismo aber-  
 raverit à scopo, adeoque non ab infir-  
 missimis ad potentissima, juxta Quin-  
 til. monitum, pervenerit, sed ab infir-  
 mis verè ad infirmissima processerit,  
 ita ut manifestè prodat, *pugnam*, judi-  
 cito Quintilianī, ex suâ parte *langues-  
 cere*. Nescio, aliquāne fraudulentia',  
 (nempe ut his, quæ nostris DD. affingit,  
 armis saltem nos terreat, cùm vincere  
 desperet) hoc factum sit; an verò igno-  
 rantiā, qua nostrorum Doctorum do-  
 ctrinas, quibus tam gloriose incedit,  
 non intelligit. Quidquid sit, hoc mihi  
 evidentissimum videtur, cùm D. Heid.  
 sive malitiā; sive ignorantia' adeo con-  
 tra veritatem peccet, nec nostris (etsi,  
 quasi alter Goliath, magno verborum  
 fastu contra totam Synodus tam

Z 2 ja-

jactanter, velut de victoriâ jam certus,  
 insurgat ) pertinēscendum ; nec suis  
 ( et si victoriā ipse proclamet, ante-  
 quam adversarium viderit ) de victoriā  
 applaudendum, & multò minus trium-  
 phum ipsi decernendum , imò alijs  
 etiam ipsius scriptis minus fidendum  
 esse. Ille ipse p̄scis, qui hiante rictu  
 contra Tobiam insurgebat , eumque  
 mox deyoraturus videbatur, fortia-  
 mo exceptus, & exenteratus medici-  
 nam, qua Patri visum restitueret, præ-  
 buit. Sic argumenta D. Heideggeri  
 haētenus excepta & exenterata mul-  
 tūm conducunt, ut quilibet prudens,  
 qui haētenus erravit, suum errorem  
 videat.

## CAPUT ULTIMUM, CONCLUSIO, ET EPILO- gus totius disputationis.

**N**unc ergo, amicissime Lector,  
 cuicunque Religioni, sive Roma-  
 næ Ecclesiæ , sive Protestantium eo-  
 rum, qui se Reformatos, vel eorum,  
 qui se Evangelicos vocant, addictus sis  
 (mo-